


05

A

222





V
I

D
S

D



ND
DISPUTATIO THEOLOGICA,

Qua

VERAM ORTHO-
DOXÆ MINISTRO-

RUM VOCATIONIS
CONSIDERATIONEM

In Inclita ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI,
ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. JOHANNIS *Deutschmann* /

SS. Th. D. ejusdemq; P. P. longè celeberrimi, Alumnorum Electro-
ralium Ephori gravissimi, Facultatisq; suæ h. t. DE CANI

SPECTABILISSIMI,

*Domini, Patroni, Præceptoris, & Promotoris,
submississimè venerandi,*

publicæ Eruditorum disquisitioni sistit Autor & Respondens

DANIEL KERMANNUS, *Trench. Hung.*

SS. Theol. & Philos. Stud.

A. O. R. M. D. C. LXXIII. Die *Octobris.*

In Acroaterio Majori.

B. Lutherus Tomo 2. Latino Jenen. fol. 552.

*Exspecta Vocantem, interim esto securus: imò si esses sapientior ipso Salomone, &
Daniele, tamen nisi voceris, plusquam infernum fuge, ne Verbum effundas. Si
Tui egerit, vocabit Te, si non vocabit, non Te rumpet scientia tua. Deniq; neq;
est vera, sed Tibi videtur scientia & stultissimè tibi fingis fructum, quem posse
facere. Nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum.*

WITTEBERGÆ, Typis Viduæ AUGUSTI BRÜNINGII,



05 A 222



In nomine Jesu!

PROOEMIUM

Ecclēsiæ triumphanti, determinata Conditoris totius universi ordinatio, non inconueniens ἀπεικόνισμα militantem constituit Ecclesiam, ut sicut illa Ordinibus, Potestatum, Dominationum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum Rom. 8. 38. Eph. 1. 21. Colos. 1. 16. 1. Petr. 3. 22. diuinitus institutis, ita hæc constet Hierarchiis sive Statibus in Ecclesia, ne peccata sinant impune abire, definitis: quorum *Oeconomicus*, circa generis humani propagationem, *Politicus*, protectionem, *Ecclesiasticus*, reparationem occupatur. Cùm verò reparatio hæc officium publicum diuinitus institutum, ac certis quibusdam hominibus per legitimam vocationem commendatum præsupponat, placuit in præsentis paucis *Veram orthodoxæ ministrorum vocationis considerationem*, publicæ placidæq; Eruditorum disquisitioni subicere, imprudentiq; nescio, an impudenti garrulitati Pontificiorum, qui Lutherana, quam vocant Ecclesiæ Ministros à non vocato Luthero, nec vocatos, nec legitimè ordinatos, sed mercenarios, latrones, per januam non ingressos, fures & Prædicantistas, plenis buccis ebuccinant, pro virili respondere. Ut verò Disputationis hujus ὀμολογίαν primo statim intuitu lecturi perspiciant,

ciant, se rvatis bonæ methodi legibus, primâ Sectione Vo-
cationis existentiam & necessitatem, mox significationem
deinde Definitionem per Causam Efficientem, Materia-
lem, Formalem, Finale, deniq; Divisionem atq; Conse-
quentia pertractabimus & enucleabimus. Invocamus
verò DEUM Trin-Unum, calidissimis precibus, conatibus
hisce nostris indulgentissimâ sua gratiâ clementer adesse,
eosq; in laudem nominis sui prohevere dignetur. Amen.

I.

CUm conservatio Ecclesiæ includat conservationem Eccle-
siastici Ministerii, non est, cur in gratiam *Quærentium* seu
Expectantium (qui nullam Ecclesiam, nullum Ministerium,
quia nullus sit Apostolus, statuendo, Johannem Apostolum
quem in Transylvania vivere, & brevi Ecclesias restitutum perti-
naciter credunt, per literas in Angliam invitare, imò si quando pe-
regrinum aliquem vident, num is fortè Apostolus Johannes sit, in-
quirere, non dubitant) 1. tot honorificas Scripturæ appellationes, ut
cum dicuntur *Prophetæ* Jer. 1. 5. Act. 11. 27. seu *Videntes* 1. Sam. 9. 9.
Viri Dei 1. Sam. 2. 27. *Angeli* Apoc. 1. 20. c. 2. 1. *Legati pacis*, Esa. 33. 7.
Presbyteri 1. Tim. 5. 17. Tit. 1. 5. 1. Petr. 5. 1. *Episcopi & Diaconi* Phil. 1.
v. 1. Act. 20. 28. *Lux mundi* Matth. 5. 14. *Sal Terræ* ibid. v. 13. *Mini-
stri Dei* 2. Cor. 6. 4. & *Dispensatores mysteriorum Dei* 1. Corinth. 4. 1.
2. *Distincta, quibus debiti sui muneris admonentur, præcepta*, 3. *Continu-
atam ab exordio Mundi seriem, Doctorum Ecclesiæ, expressam*, 4. *Eccle-
siastici ministerii beneficio vocationis verè divinæ, distinctionem*, Exo. 28.
v. 1. Num. 1. 49. denique 5. *ad seculi usq; finem conservationem* Esa. 59.
v. 21. Eph. 4. 11. 12. pro adstruenda ministerii hujus **EXISTENTIA**,
in auxilium vocitemus.

*Necessariam potius cum Augustana Confessione Art. 14. docente,
quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere aut Sacramenta administra-
re nisi rite vocatus, non quidem ratione 1. ordinis credendi, seu legiti-
mationis personæ, officii Pontificalis, totiusq; corporis conspicuæ
ab uno capite, dependentiæ, quod primum inductivum ad capes-*
sen.

fendam fidem Christianam, fingunt Pontificii, ad eum modum,
 quò in actionibus civilibus & contractibus, personas contrahentes
 prænovisse oportet, easq; ante legitimari, ut constet quales sint, cum
 quibus agimus, vel quos audire debemus; cum tamen multorum
 Apostolorum prædicationi citra præsumptionem de Missione, di-
 vinâ fide creditum sit 1. Cor. 2. 1. 2. 3. 4. 5. c. 9. 2. Act. 2. 13. 37. c. 17.
 v. 18. 34. *sed ratione Dogmatum fundamentalium*, quibus & de adhi-
 bitâ, deinde etiam creditur, Deum peculiari Ministerio uti in con-
 versione hominum peccatorum, & confirmatione fidelium, ne non
 vocatis, quamvis internâ docendi facultate satis instructis, liceat
 docere publicè in Ecclesia, vel administrare Sacramenta, contra Le-
 gem Juris positivi humani & divini: Nemo sibi sumit hunc hono-
 rem, nisi vocatus sicut & Aaron, i. e. sibi non sumpsit, sed vocatus
 est. Heb. 5. 4. Unde B. Lutherus Tom. V. Jenen. fol. 157. colligit,
 currentes omnes, i. e. vocatione carentes, tanquam indubitatos
 Diaboli Apostolos fugiendos. Et Deus ipse non tantum gravis-
 simè conqveritur de pseudo ministrorum discursitatione Jer. 23. 21.
 & potestatis hujus temerariâ usurpatione, sed etiam *αὐτοκλήτως* tan-
 quam sibi ignotos punit gravissimè, uti patet in Uzâ 2. Sam. 6. 6.
 Ufia Rege 2. Par. 26. 19. Chore, Dathan & Abiram, Num. 16. 32. si-
 cut è contrario quos vocavit omnimodè donis exornat, ad muneris
 mandati executionem. Unde illud Germanorum: *Welchen
 Gott schickt / den macht er geschickt.* 2. *Nec necessitate absolutâ,*
 cum Deus & immediatè, sive sine hominum *συνεργεία* homines con-
 vertere & salvare possit; *sed hypotheticâ*, cum ex hypothesi divinæ
 institutionis, atq; ordinationis unicè dependeat. *Nec 3. ratione
 Ecclesiæ constituendæ*, in quâ quemvis docere potuisse & baptizare,
 docet Theodoret. lib. 1. Hist. Eccl. c. 23. exemplo mulieris cujus-
 dam captivæ, Iberis fidem Christi prædicantis, ad eamq; Regnam
 & Regem ipsum convertentis. Similiter possent fideles, in remo-
 tissimas barbarorum oras tempestate delati, sine ullâ ad suos rede-
 undi spe, aliquem de se eligere in Pastorem, qui temporis interca-
 pedine plures ad Christum accedentes, informare, sibiq; successo-
 res Pastores ordinare, & Ecclesiam plantare possit.

II. Sumitur verò hic Vocatio non in significato latiori, quæ

A 3

non.

non habitâ ratione sexûs, ætatis, & conditionis Christianorum, ad omnes ex æquo pertinet. Rom. 1. 5. 1. Cor. 1. 2. Eph. 4. 1. 1. Thess. 2. v. 12. *sed strictiori, & speciali, quæ munus Ecclesiasticum, personæ ex reliqua hominum multitudine selectæ, doctrinâqve & sermone* 1. Tim. 5. 17. in publicis Christianorum conventibus laboraturæ, committitur.

Opus igitur illud gratiæ, quò Deus personas quasdam ex reliquâ hominum multitudine, *non quidem ad vitam æternam* Joh. 13. v. 18. Eph. 1. 4. 2. Thess. 2. 13. *sed ad functionem Ecclesiasticam*, elegit, vocatur *Vocatio*, Rom. 1, 1. Cor. 1, 1. item *Missio* Esa. 6. 8. Jer. 23, 21. *Electio sive Separatio* 1. Chron. 23. 13. ubi verbum לִבְרֵיךָ separavit, cui æquivollet ὁ ἀφωρισμένος, Rom. 1, 1. Galat. 1, 15. *Constitutio*, Act. 20, 28.

III. Est autem Vocatio, actio totius SSanctæ Trinitatis, quæ Deus certas quasdam personas, juxta beneplacitum suum sanctificat, segregatq; ut sint σύνεργοι sive cooperatores ipsius 1. Cor. 3, 9. c. 4, 1. in divinorum mysteriorum œconomia sive dispensatione, ad gloriæ suæ laudem & Sanctorum coagmentationem, atq; corporis Christi ædificationem Eph. 4, 12.

IV. CAUSA EFFICIENS PRINCIPALIS Missionis seu Vocationis immediatæ & mediatæ, *originaliter tum ratione decreti, tum ratione executionis decreti*, est solus ille Uni-Trinus Deus, Dominus ille messis Matt. 9, 38. Luc. 10, 2. 3. qui mittit operarios suos in messem suam, & signo distinguitur ab idolis. Cum enim Vocatio sit opus Divinitatis ad extra facile patet, jus summum & ἀποκρίτως vocandi Ministros, servato ordine Personarum, esse singulis in Trinitate Personis commune. Ita PATER, ut fons Trinitatis, atq; beneficiorum quæ in Ecclesiam conferuntur, in V. T. dicitur vocasse Patriarchas, Moysen, Levitas, Prophetas; imò cum venisset plenitudo temporis misit unigenitum suum filium, ut in assumptâ carne, non solum redemptionis opus perficeret, sed etiam docendi munere fungeretur Heb. 1, 1. Joh. 3, 2. hinc toties ad suam à Patre missionem provocat Matth. 10, 40. Joh. 4, 23. c. 20, 21. FILIUS vero Dei, decretum ministerii executus est, idq; non tantum in V. T. protoplastis primævam Evangelii promissionem revelando Gen. 3, v. 15. eam-

namq; per Patriarchas, Moſen Prophetas propagando; ſed in N. T. etiam *partim in propria perſona ordinariè* quidem apud Judæos, hinc etiam dicitur miniſter Circumciſionis Rom. 15, 8. *extraordinariè* verò apud ipſas gentes circumjacentes Matth. 15, 21. Joh. 10, 16. præconiũ munere fungendo: *partim convocatis duodecim Apoſtoliſ* Matth. 10, 1. Luc. 9, 1. poteſtatem per Orbem univerſum docendi tribuendo Matth. 28, 19. Joh. 20, 21. moxq; ad Dei Patris dextram evectus, dedit alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad compactionem Sanctorum, ad opus miniſterii & ædificationem corporis Chriſti Eph. 4, 11, 12. Spiritus Sanctus etiam loquebatur per Prophetas *Ἰεουὸς* 2. Sam. 23, 2. Act. 28, 25. unde non libitu allata eſſe dicitur Prophetia, ſed acti à Spiritu Sancto loqvuti ſunt Sancti Dei homines 2. Pet. 1, 21.

§. 1. Proinde adſcribitur hæc Vocatio non modò 1. *Deo Patri*, Matth. 9, 38. Luc. 10, 2. 1. Cor. 12, 28. 2. Cor. 5, 18. 2. *Deo Filio*, Matth. 23, 34. c. 28, 19. Joh. 20, 21. 1. Cor. 1, 17. Eph. 4, 11. 1. Tim. 1, 12. 3. *Deo Spiritui Sancto*, Act. 13, 2. 4. c. 20, 28. Sed ipſi quoq; Miniſtri in Scriptura Sacra dicuntur nuncii ſeu Miniſtri Dei Matth. 11, 10. Luc. 7, 27. 2. Corinth. 6, 4. 1. Theſſ. 3, 2. Viri Dei 1. Sam. 2, 27. c. 9, 6. 2. Reg. 13, 1. 1. Tim. 6, 11. Legati Chriſti Rom. 15, 16. 1. Cor. 4, 1. 2. Cor. 5, 20. Col. 1, 7. 1. Tim. 4, 6. Emiſſarii Spiritus Sancti Act. 13, 7, 4. Confer. 2. Cor. 3, 8.

§. 2. *Minus principalis* verò ſeu *mediata*, de qua h. l. agimus, non poſſunt eſſe *Ordinariè*, 1. *Angeli*, quia ſicut placuit divinæ ſapientiæ non Angelos ſed homines ad munus Eccleſiaſticum vocare; ita eidem placet, non per Angelos, ſed homines mediatam vocacionem ad miniſterium peragere. Extraordinariè tamen Deus Angelorum miniſterio etiam uſus fuiſſe legitur Act. 8, 26. ubi Philippo per angelum mandavit,urgeret & vaderet meridiem verſus ad viam, quæ deſcendit Hieroſolymis Gazam. Ex cap. 10, 19. Petrus per Spiritum ad convertendum Cornelium Centurionem excitatus fuit: non tamen prima hæc ad obeundum miniſterium (utpote cujus jam pridem unà cum Philippo particeps redditus fuit) fuiſſe exiſtimetur vocatio, ſed itineris tantum certi, demandata ſuſceptio. *Nec 2. animæ defunctorum*, quia in manu Dei ſunt Sap. 3, 1. Fallitur pro-

proinde & fallit Nicephorus, seriis miscens fabulosas animarum
apparitiones, quæ dixerint: Tu, eris in hoc vel illo loco Episcopus:
neq; enim anima apparet *vel in proprii corporis angustiis* ante resurre-
ctionem, maximè si diu computruerit: *vel in alieni*, quia hoc finis
apparitionis, qui est, genuinis & germanis lineamentis exuviarum
agnosci, repugnat: *vel deniq; in aërei*, quia in statu separationis non
potest alia à se, vi propriam movere, cum careat organis corporeis.
Quid, quod in Scriptura expressè uti 2. Sam. 12, 23. Ecclesiast. 38, 22.
Luc. 16, 27. 29. improbentur *ψυχοφανελαί*? Vid. B. Chemn. LL. CC. de
Eccl. cap. 4. p. 123. ex eoq; B. Gerhardus de Minist. Eccles. sect. 4.
num. 85. Dn. D. Dannhauerus in Hodof. p. m. 412.

§. 3. Superfunt *homines*, tres distinctas Hierarchias consti-
tuentes, de quibus subnascitur gravissima controversia, penes quam
videlicet sit jus & potestas mediatae vocationis, sive, num uni certæ,
an verò omnibus tribus simul competat. B. Gerhardus Theolo-
gorum consummatissimus, tres litigantium de vocationis jure con-
stituit, sententias, quarum *primam defert Pontificis*, formaliter & ra-
dicaliter ad Papam, per communicationem verò ad Episcopos cum
successione perpetuâ jurisdictionem exteriorem, non verò ad po-
pulum & Magistratum, nisi fortassis per jocum, referentibus, ut cum
Suffraganeus intra fores templi stat, clamans: *utrum bonus & dignus
sit candidatus?* & stat quidam in angulo, loco populi respondens:
bonus & dignus est. Vide Casus Consc. Balduini, casu 3. c. 5. *secun-
dam Arminianis* & Pseudo-Politicis, vocationem ut & depositio-
nem seu remotionem Regalibus Magistratus attribuentibus, ad
quam tamen minus Juris habent, quam Diabolus ad Regnum Cœ-
lorum, dicente Luthero. *Tertiam Anabaptistis*, promiscuæ multi-
tudini excluso Ministerio & Magistratu, jus delegatum vocationis
concedentibus. Quæ sententiæ in eo jucundè conspirant, quod
vocationem, si à potestatem habente peragatur, legitimam, sin mi-
nus, illegitimam dici & esse debere statuunt: in eo verò gravissimè
peccant, quòd singulæ singulis Hierarchiis velificentur.

§. 4. Nos, toti particulari Ecclesiæ ex tribus ordinibus velu-
ti membris constitutæ, non quidem *διηρημένως* divisim, sed *ἡνωμένως*
conjunctim, Jus vocationis in solidum vindicamus.

S. F.

§. 5. Cum enim Ecclesia sit veluti quædam Resp. in qua jus eligendi magistratum ob communem omnium Civium salutem, præcis omnibus legibus politicis, per se, & suâ naturâ toti communitati competit, Ministri verò Ecclesiæ, sint veluti quidam Spiritualis Magistratus, cui Reip. Spiritualis totius cura committitur, ut vi clavium remittant peccata pœnitentibus, præfractis verò impœnitentibus retineant; imò necessitate ferente, pœnam excommunicationis dicant; oportet profectò jus vocandi dependenter à Christo toti particulari Ecclesiæ competere. Quod enim omnibus totius partibus competit, illud toti ipsi competere necesse est.

§. 6. Evincit id ipsum (1) *infallibilitas Scripturæ*, suppeditantis 1. *clavium Ecclesiæ à Dei Filio concessam potestatem*. Christus siquidem Matth. 16, 19. regni Cœlorum claves (seu potestatem Ecclesiasticam; cujus pars est Vocatio & constitutio ministrorum) Petro Apostolo, figuratâ generalitate, ut loquitur Augustinus in Joh. tract. 124. personam Ecclesiæ gerenti, tradidit, neq; enim super Petrum, sed super fidem Petri ædificavit Ecclesiam suam. Et Matth. 18, 19. de clavium potestate loquens, addit: Ubi duo vel tres consenserint super Terram, de omni re, quam petierint, fiet eis à Patre meo, qui in Cœlis est. Tribuit igitur principaliter claves Ecclesiæ, & immediatè sicut & ob eam causam Ecclesia principaliter habet jus vocationis, uti loquitur Tractatus de Potestate & Primatu Papæ Articulis Smalcaldicis subjunctus, non à Lutherano quopiam, cui nomen Articulus Smalcaldicus, uti quidem frater ille ignorantia à Sancto Carolo, Bibliothecarius, in Bibliothecâ suâ Pontificiâ, non sine lectoris risu, contendit, sed à Theologis nostratibus Smalcaldiæ A. 1537. congregatis, conscriptus. 2. *Expressam Ecclesiæ ministrorum appellationem*, ex natura enim claret, potestatem eligendi ministrum aliquem illi competere, cujus quis minister futurus est, jam verò futurus est totius Ecclesiæ, E. toti Ecclesiæ hoc jus competit. Rectissimè proinde Papa Leo, ep. 95. Qui præfurus est omnibus, ab omnibus eligatur. 3. *Ministrorum doctrinæ probationem*, probandi enim sunt Spiritus, num ex Deo sint 1. Joh. 4, 1. discernendi veri pastores à pseudopastoribus Matt. 7, 15. anathematizandi, quicumq; aliam doctrinam ab Apostolica adferunt 2. Joh. v. 10.

B

§. 7.

§. 7. (2) *Probat observatio praxeos Apostolicæ, quemadmodum ex electione Matthiæ Act. 1, 23. consentiente totâ Ecclesiâ, nitefcit. Petrus enim negotium proposuit, nec tamen solus, aut Apostoli soli, sed tota Ecclesia, quæ turba capitum quasi centum & viginti erat, duos elegit, ac extraordinariè & immediatè per sortem, non ex concessione Petri, Apostolorum collegio annumeratum, communibus calculis confirmavit.*

§. 8. Similiter in electione septem Diaconorum, duodecim Apostoli convocata multitudine discipulorum, dixerunt: Viri fratres, deligite ex vobis viros septem idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos huic usui præficiamus, qui sermo cum placuisset toti præsentî multitudini elegerunt Stephanum, Virum plenum fide ac Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Profelytum Antiochensem, quos stiterunt in conspectu Apostolorum, qui adhibitis precibus imposuerunt eis manus. Act. 6, 2. Quod si igitur juxta Bellarminum in vocatione horum diaconorum, qui mensis tantum præficiendi erant, totus Ecclesiæ consensus requirebatur, quid in electione eorum, qui purâ verbi Dei prædicatione, & legitimâ Sacramentorum administratione, animas pascere debent, idem requireretur? Ut taceam Judam & Silam ab Apostolis & Presbyteris *cum tota Ecclesia*, Antiochenæ Ecclesiæ ministros esse constitutos, Act. 15, 22.

§. 9. Ex Christi verò duodecim Apostolos & septuaginta discipulos sine populi suffragio immediatè eligentis, exemplo, tantum sequitur Apostolos, & discipulos à Christo, ac Episcopos ab Apostolis, ad absentè in fidelemq; populū si re populi suffragio missos esse, adeoq; *Ecclesiam plantandam, cum nondum sit Ecclesia, qua talem, nullum in electi one suffragium cogitare, multò minus conferre posse.*

§. 10. (3) *Confirmat imitatio primitivæ Ecclesiæ, 1. partim per luculentâ legitimæ vocationis exempla,* legimus enim apud Socratem lib. 4. Hist. Eccl. c. 25. mortuo Auxentio Arianizante, cum alii orthodoxum, alii Arianum cuperent, dissensuq; suo seditioni occasionem præberent, Ambrosium, urbi ab Imperatore præfectum, in medium procurrisse, seditionis sedandæ causa; *cujus adventu cum*

popu-

populus conqvieviffet, derepente uno omnium confenfu & clamore, Epifcopatu, nondum baptizatus Catechumenus tamen donabatur, tanto Imperatoris fuffragio, ut gratias egerit Deo, qui, corporibus hominum fortunisq; præpofitum, animarum infpectione accurâ dignum judicaffet. Ita Nazianzenus in Serm. de Laudibus Athanafii, refert, eum $\psi\eta\phi\omega\ \xi\ \lambda\alpha\sigma\ \pi\alpha\nu\tau\epsilon\varsigma$, totius populi fuffragio electum effe. Vide plura apud Gerh. l. c. §. 97. 2. *partim per luculentâ Patrum dicta.* Ita Cypr. l. 4. Epift. 2. testatur Cornelium Papam electum fuiffe à plurimis Epifcopis de Testimonio & fuffragiis totius populi & cleri. Et Chryfoftomus l. 3. de Sacerdot. Omnes, inquit, electiones & vocationes irritas fieri, quæ fine conscientia & affenfu populi fiunt. Conſentit Leo I. Epla XCV. Qvi inquit, præfuturus eſt omnibus, eligatur ab omnibus. Quid, quod M. Anton. de Dominis l. 4. de Rep. Eccl. c. 11. in ſpecie probat, Pontificis Romani electionem, confirmationem, ordinationem, communibus electionum, confirmationum & ordinationum Epifcopalium legibus ſubſtare. 3. *Partim per Conciliorum decreta, & Pontificum reſcripta*, quibus à Papicolis, ea, quæ Conciliis attribuitur autoritas. Nicenum enim ſeu Oecumenicum primum, ſeculo IV. Conſtantino Magno imperante, contra Arium indictum, Sanctionem conſtituit, uti Epiftola Synodica, à Concilii hujus Patribus, ad Ægypti Epifcopos ſcripta, apud Theod. l. 1. Hiſt. Eccl. c. 9. teſtatur, h. m. Si quis forte Eccleſiæ Præſul obdormiverit, jus eſto paulò ante receptis in locum demortui ſuccedere, ſi modò & mereri videbuntur & populus elegerit, ſic tamen, ut ſuffragium, & quaſi conſignatio accedat Epifcopi Catholicæ Alexandrinæ Eccleſiæ. Ita in Concilio Carthaginenſi IV. Canone 22. decretum, ne Epifcopus ſine Civium affenſu & teſtimonio Clericos ordinet. Bonifacius III. referente Plainâ in vitâ ejus, electionem Epifcopi à clero pariter & populo fieri vult, eamq; ita ratam eſſe, ac ſi à Principe approbata eſſet, & ſi ſummus Pontifex deniq; his verbis autoritatem ſuam interpoſuiſſet: *Volumus, & jubemus.* Plura apud Gerhardum l. c. §. 94. 95. Magnificum Dn. D. Calovium Syſt. LL. Theol. tom. VIII. p. 336. Gerhardum in Confefſ. Cathol. L. II. par. II. art. VI. c. 1.

§. II. Cum itaq; nullus Status à curâ & ſynergia Eccleſiæ

h 2

cate-

exteriori, absolutè excludi possit, *excepto casu vel necessitate*, cum vno alterove ordine lupescente, aut negotii sui non satagente, alter jure suo utitur, *vel liberae resignationis*, cum stat9. unus alteri jus suum ultro cedit, aut in Presbyterium, Senatui, Consistorium Ecclesiae repraesentativum, (consensu saltem interpretativo, citra testificationem, vel praesumptionem rationabilis dissensus) transfert, quod singulorum est, *brevibus, officia, singulis statibus competentia*, quidq; cuivis sine confusione, de jure & juris seu actus ipsius executione propriè tribui possit, *videbimus*.

§. 12. Ac primò quidem Presbyterio Ecclesiastico merentissimo jure, primas in vocandis ministris, ducti (α) *Scripturae testimonis*, 1. Tim. 4, 14. c. 5, 22. 2. Tim. 2, 2. Tit. 1, 5. (β) *exemplis*, Act. 14, 23. (γ) *manifesta deniq; ratione*, deferimus, ministri siquidem jam in ministerii partibus obeundis constituti rectissimè omnium, de vocandorum uti duces exercitati de novellorum militum, Praeceptores de discipulorum, qualitatibus judicare possunt. Hinc hodiernum soli huic statui explorandis ordinandorum profectibus examen conceditur.

§. 13. Magistratus verò Politicus, cum sit potestas *ἑξουσία* omni animæ in sphaera regni sui contentæ, ordinata à Deo, omnis potestatis autore, Rom. 13, 1. in nutricem Esa. 49, 23. *partim ratione personæ*, quoniam est Ecclesiae membrum, *partim ratione officii*, cum sit utriusq; Tabulae custos Deut. 17, 19. *sibi vendicat cooperationem in actibus mixtis*, ac nominatim in constitutione ministerii, in qua ipsi, non tamen absolutè, independenter, violenter, & inordinatè, incumbit auctoritas, inspectio, praesidentia, praesentatio, confirmatio, falsis insipidi remotio, *exemplo Salomonis*, qui non ut Propheta, sed ut Rex, Abiatharem loco justè turbavit, surrogans Sadocum 1. Reg. 2, 26. 35. Asæ 1. Reg. 15, 12. 2. Paral. 14, 3. 4. Chiskiae 2. Reg. 18, 4. Josaphati 2. Chron. 17, 7. 8. mittentis Levitas ad docendum per civitates Jehudæ. Plura videsis in Syst. Th. Magn. Dn. D. Scherz. p. 736.

§. 14. Quod verò in primitivâ Ecclesia Magistratus in vocandis ministris nulla fiat mentio, nequaquam concludendum, hodiernum etiam destitui Magistratum jure vocandi ministros Ecclesiae: ut enim à facto ad Jus, ita à negatione facti ad negationem juris N. V. C. Magistratus enim nondum erat Christianus, nec amplectebatur do-

ctri-

firmam & fidem Christianam, cuius prædicatio ministris commenda-
batur. Et hic *Status Ecclesiæ semiplenus* seu imperfectus, duravit
usq; ad Constantinum Magnum, Imperatorem, qui Christianam re-
ligionem amplexus est circa annum 312. ab eo verò tempore, inclu-
sive, ministros Ecclesiæ tota Ecclesia ordinariè vocare consuevit.

§. 15. *Oeconomicus* deniq; ordo, per populum repræsentatus,
cùm sit potissima pars Ecclesiæ, in cuius salutem æternam promo-
vandam, omnium maximè tendat hoc ministerium, Rom. II, 14.
I. Tim. 4, 16. necesse est sciat, pastor an mercenarius ille sit, cuius au-
dire vocem Joh. 10, 12. jubentur, habeatq; non ex conniventia vel
concessione, sed Lege Divinâ jus vocandi Ministros, per se toti Ec-
clesiæ, adeoq; etiam plebi conveniens.

§. 16. Alia est ratio infidelium adhuc convertendorum, sive
Ecclesiæ plantandæ, cui non requisito auditorum consensu dantur
Prædicantes, vel de consensu Magistratûs loci, vel jussu Magistratûs
alterius, qui jure belli vel aliâ justa causâ Doctores eò destinat.
Quemadmodum sub initium Ecclesiæ, Deus in vitis populis immisit
Apostolos Rom. 10, 20. Act. 16, 20. non tamen jussit redire ad re-
fractarios, quorum pulverem semel excusserunt Luc. 10, 10. II. 12.
Act. 18, 6. Ita Frumentius, à S. Athanasio Indorum Episcopus,
qui tamen nil horum cogitârunt, creabatur. Et S. Augustinus à
Gregorio, Episcopus designatus, & ab Arelatensi Episcopo ordina-
tus Anglorum Episcopus, sine ulla horum postulatione. Confer
Chemn. Exam. Concil. Trident. fol. 253.

§. 17. Quantum verò ad Exemplum Mosis, Aaronem eli-
gentis: loca Scripturæ Joh. 20, 21. Joh. 21, 15. I. Pet. 5, 2. rationes de-
niq; Pontificiorum insolubiles; dicimus Mosen tanquam Ducem
secularem (vocula enim כהן Sacerdos, Ps. 99, 6. ipsi attributa, non
semper notat Sacerdotem ut 2. Sam. 8, 18. ubi filii Davidis dicuntur
כהנים, qui tamen ex alia tribu erant) immediate Aaronem elegisse.
Deinde distinguimus inter similitudinem *modi* & *scopi* seu rei; ter-
tium ibi est similitudinis non verò paritatis uti ex Esa. 61, 1. patet
2. inter regimen verbi & docendi, & regimen electionis ac suffragio-
rum, prius ovibus non competit. 3. *Inter oves brutas & racionales,*
ubi ab ovibus irrationalibus, ad racionales, irrationalis est consequentia.
4. inter suffragia turbae, & ejus capitum, illi non istis denegantur.

§. 18. Concluditur igitur, quantum in specie ad Ministerii constitutionem attinet, *Ecclesiastico* quidem ratione jurium executionis, examen, ordinationem, inaugurationem; *Politico Christiano*, nominationem, præsentationem, confirmationem; *Oeconomico deniq; Statui*, sive populo, de jure, more, exemploq; primitivæ Ecclesiæ pro ratione circumstantiarum, postulationem, suffragium, quod vel negativum, dum nihil opponitur, sufficit, approbationem sive applausum solidè competere. Quamvis in specialissimis casibus certa norma præscribi non possit, cum Jura Patronatûs, scilicet nominandi, eligendi, & conceptis verbis vocandi, varient, plurimumq; momenti pacta, consuetudines, concessionem, templorum extructiones, in diversis Paroeciis, nedum Diocæsibus & Provinciis obtineant.

V. CAUSA MATERIALIS Vocationis, est vel *Subjectiva*, vel *Objectiva*.

§. 1. *Subjectiva*, sunt personæ Ecclesiasticæ, quibus ex reliquo Christianorum cœtu selectis, juxta præscriptum Verbi divini, munus sacrum demandatur.

§. 2. In Vocatione verò harum personarum observari debet (1) *Sexus*, ut sit masculus, quia Apostolus fœminas à publico docendi munere excludit 1. Cor. 14, 34. 35. Mulieres taceant in Ecclesiis, si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent, turpe enim est mulieri, loqui in Ecclesiâ, & 1. Tim. 2, 11. 12. mulieri docere non permittitur. In Anglia tamen & alibi arcanam seu internam, sed sine externâ, vocationem prætendentes, mulieres concionantur, & baptizant. Londini A. 1645. referente Hornio Histor. Eccles. p. m. 622. mulier plebeja in concione primò dixit ad circumstantes: Si quis habet verbum exhortationis loquatur: tacentibus cunctis perrexit, Nunc est, inquit, tempus illud, quò impletur, quod Deus promisit: Effundam Spiritum meum in ancillas meas, & prophetabunt. Tum precibus per dimidiam horam recitatis, ad textum devoluta est, qui erat: Si diligitis me, custodite præcepta mea. Finitâ concione, si quis, inquit, habet quod objiciat contra modo dicta, loquatur. Et surrexit alia, variaq; protulit, sed à circumstantibus interturbata, desistere cogebatur, cum multâ prioris indi-

indignatione, quòd legatos Dei turbarent. Dicebant enim se non concionari, sed tantum dona exercere, cum nullus in mundo sit, qui potestatem concionandi habeat. Cumq; quærentur, quâ se auctoritate exercerent, ingeminarunt ex I. Pet. 4, 10. II. Heb. 3, 13. Mal. 3, 16. Tit. 2, 3. 4. Sic etiam tempore Constantini Magni, cum Licinius Imperator impientissimus, contra morem Ecclesiæ mandatumq; Dei, ne in Syria mulieres cum viris congregarentur, vetnisset, illæ è sexu suo aliquas elegerunt, quæ docerent in conventibus, referente Eusebio lib. 1. de Vitâ Constant. Qvin & Bonifacius Episcopus, ad mandatum Gregorii II. Papæ in Germaniam proficiscens, foemini concionari permisit, referente Aventino lib. 3. p. 168.

§. 3. Verùm enim verò *id contra naturæ & legis ordinem esse*, patet inde, quia viris subditæ, in conspectu eorum, præter verecundiam & humilitatem nimiam loqvacitate loqvuntur. Hinc Anselmus, Jure, inquit, tacere jubetur foemina, quæ cum loqveretur, viro suo suasit peccatum. Legimus quidem foeminas munere prophetandi instructas, ut Mirjam Ex. 15, 20. Debora Judic. 4, 4. Hulda 2. Reg. 22, 14. Hanna Luc. 2, 36. Matth. 28, 10. Joh. 20, 17. Rom. 16, 1. & 3. inde tamen ad ordinarium publicè in Ecclesia docendi munus, extra necessitatis casum, descendere non licet. *Vel itaq; extraordinariè suscitatae sunt, vel eorum officia tantum, in pauperum, exulum, & ægrorum curatione*, uti ex I. Cor. 16, 15. liqvet, ubi Stephanæ domestici dicuntur se ordinasse *ἐν τῷ ἑκκλησιαστικῷ ὄρει*, consistebant, eaq; ratione Rom. 16, 3. Phæbe & Priscilla, ob ministerium laudantur. Privatim tamen familiam sive Ecclesiam domesticam instituere possunt & debent, I. Tim. 3, 12.

§. 4. Errant proinde Anabaptistæ, sine omni vocatione cuius in Ecclesia docendi potestatem facientes, qui doctrinam Evangelii intelligit, sive is futor sit, sive sartor, sive faber, &c. Errant Sociniani, vocationis necessitatem in Ecclesiæ ministris negantes, I. quia Apoc. 1, 6. *Christus fecit nos Reges & Sacerdotes* c. 5, 10. sc. non respectu muneris Ecclesiastici, sed Spiritualium hostiarum, Deo offerendarum, ad quas quidem rectè refertur Evangelii prædicatio Mal. 1, 11. Rom. 15, 16. non tamen ex spirituali Sacerdotum appellatione, communitas publicæ prædicationis I. Cor. 12, 29. Jac. 3, 1.

spe-

Speciatim à Deo factæ, infertur. 2. Quia Philippus Act. 8, 4. c. 11, 19. Apollo, Act. 18, 24. nullibi missi ab Apostolis prædicasse leguntur, quod tamen falsum esse apparet ex Act. 6, 5. 6. ubi cum aliis sex, factus est Diaconus ipse Philippus, Apollos verò ab ipso Paulo 1. Cor. 3, 6. in collegam cooptatur, quod sine vocatione fieri non potuisset. 3. quia claves sunt datæ toti Ecclesiæ, & cum iis prædicatio, verum inde nullo modo publica prædicatio, quam opus Christianæ charitatis Jac. 5, 19. dicunt, certis personis competens, indiscriminatim omnibus & singulis vindicatur. Aliter res habet in casu necessitatis extraordinario, vocatione immediatâ, & Ecclesiâ plantandâ, extra quos casus indignum est munere sanctissimo, irruere in domum Domini non vocatum, cum hoc ne in privati cuiusdam ædibus quispiam audeat, magnùm è contrario solatium in functione muneris sui periclitantibus, legitima vocatio, illud laborum omnium fundamentum.

§. 5. (2) Virtus, quæ vel est vitæ, vel doctrinæ. Ultramq; Apostolus Tit. 1, 6. 7. partim καὶ ἄριστον, seu remotionem, quod non debeat esse præfractus, non iracundus, non vinosus, non percussor, non quæstuosus, partim κατὰ θεῖον seu positionem, ut sit hospitalis, bonarum rerum studiosus, irreprehensibilis, unius uxoris vir, liberos habens fideles & tractabiles, sobrius, justus, pius, temperans, tenax fidelis sermonis, ὡς ἐν τύπῳ καὶ ἐν πλάτει, delineat.

§. 6. Nobis placet, cum B. Gerhardo, virtutes ab Apostolo enumeratas, ad utramq; Decalogi tabulam revocare. Ad primam igitur Decalogi tabulam pertinet, quod Episcopus debeat esse ἀνεγκλητος, inculpatus, irreprehensus, non quod ei nullum crimen obijci queat, ac prorsus ἀναμάτητος fit, sed quod gravioribus criminibus non debeat subjacere, ne in externâ vitâ & conversatione, mala suâ vitâ auditores offendat, adeoq; sana docens, & turpiter vivens, alterâ manu rapiat, quod unâ porrexit, plusq; noceat verbo, quam profit exemplo, cœlum voce, vitâ infernum ædificet, linguam Deo, animam consecret Diabolo, perq; omnia similis statuæ Mercuriali, quæ aliis monstrat viam, quam ipsa non ingreditur. Hinc qui gravissimis sceleribus publicè vitam suam polluerunt, ne forte etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici, superbe age-

rent

vent penitentiam, Ecclesiasticis officiis, Jure Canonico, disciplinaq;
ex primitivâ Ecclesia, descendente rigore, non facilè temperando,
non restituantur, nisi in casu necessitatis, quo præstat tales, imprimis
si clarissimis sint donis, atq; rigidiori mortificatione conspicui, admittere,
quàm Ecclesiam necessariis ministris destitui, ut loquitur Gerhard,
l. c. §. 277. Sicut etiam præstat Nectarium aliquem nondum bapti-
zatum, vel Ambrosium adhuc Catechumenum, idoneum tamen evo-
care, quàm Ecclesiam Domini, in nimbosâ pestilentissimâ hæreseos
caligine, Pastore viduatam, remanere.

§. 7. Inculpatus autem esse debet respectu (1) Pietatis, quæ
virtus est cardinalis primi præcepti, quâ Deum trinunum summâ
mentis illuminatæ æstimatione, indivisè colimus, omnemq; athei-
smum & pseudotheismum religiosè ejuramus. (2) Δοξολογίας, quæ
Virtus est secundi præcepti; quicquid elogii de Deo trinuno, ex fun-
damentali Articulorum fidei notitiâ dici potest, legendo, audien-
do, confitendo, prædicando, religiosè celebrans. (3) Sanctificatio-
nis, diei septimi, quæ virtus est tertii præcepti, quâ dies totus septimo
aliquis ex Ecclesiæ tamen autoritate Dominicus, publicè & privatim
sincerâ Verbi DEI prædicatione, attentâ auscultatione, meditatio-
ne, Sacramentorum administratione, precum & gratiarum actio-
nis fusione, operumq; charitatis exhibitione, celebratur. Vide Dic-
terici Instit. Catech. p. m. 119.

§. 8. In secunda verò Decalogi tabula, ad quartum in ordi-
ne præceptum pertinet, ut Episcopus sit τέκνα ἔχων πιστὰ μὴ ἐν κατη-
γορίᾳ ἀσωτίας, ἢ ἀνυπότακτα, liberos habens fideles, non obnoxios cri-
mini luxûs, aut qui non sint intractabiles. Ille verò optimè domui
sua præerit, qui activam, & passivam submissionem voluntatis filia-
lis, sub consilium suum subjiciens, non divitiis & liberali sustenta-
tione domesticos suos sicut Eli Sacerdos 1. Sam. 3, 13. sed institutio-
ne & commonefactione Domini, enutrit; Hinc Apostolus, à mi-
nori ad majus ὡς οὐνεπικῶς ita concludit: Si quis domui suæ præ-
esse nescit, quomodo Ecclesiam DEI, quæ est domus DEI, 1. Tim. 3,
v. 15. curabit?

§. 9. Ad quintum Decalogi præceptum pertinet Virtus, quâ
Episcopus debet esse μὴ πλῆκτις sive non promptus ad verbera, non
C qui.

quidem linguæ seu acerbitatem, uti Hieronymus vult, quamvis & ea non probentur in Episcopo, apud omnes siquidem bonos pessime audit Julius III. Aretinus, Papa, ob pavonem ad coenam asservandum, pro merenda verò devoratum, adeò effervescentis, ut Cardinali ad linguæ lenitatem invitanti responderit: Quid? Deus propter unum pomum, quod minoris est, quam pavo, Adamum ex Paradiso pepulit; *sed corporis, πληκτιζεσθαι* enim inde derivatum, significat ad plagas usq; contentionem, apertè vel occultè, per negligentiam vel imperitiam, uti fit in membrorum mutilatione, superstitiosa Dei tentatione, medicinæ legitimæ omissione &c. Hodie tamen videas, contra instituta & Canones Veteres, Episcopos passim verbera, prædas, cædes, flammâsq; ciere, militumq; personas strenuè sustinere. Ita legitur apud Matth. Parisiensem in Histor. Anglicana, Rex Angliæ Richardus, Episcopum Bellucensem quem belligerantem, coeperat, Papæ Coelestino reposcenti eum, lorica missile, cum dicto: Vide, an sit tunica filii tui, nec ne. Cui Papa: non est filius meus vel Ecclesiæ, sed Martis. Item Julius II. A. 1503. Julianus Ruenius dictus, Papa, totum ferme orbem bellicis turbis involvit. Contra Maximilianum cum Venetis, & Rege Neapolitanorum Ferdinando, de Gallis & Italia pellendis inivit societatem. Ludovico XII. Galliarum Regi ob nummum cujus inscriptio: PERDAM BABYLONEM apertum bellum indixit, exercitum educens, gladio fecinxit, clave in Tyberim projectâ, additisq; verbis: *Hic gladius Pauli nunc nos defendat ab hoste, Quandoquidem clavis nil juvat ista Petri.* Verùm victus, vidit non corporali, sed Spirituali gladio Apoc. 1, 16. i. e. verbo Dei & clavibus esse belligerandum.

§. 10. Ad sextum Decalogi præceptum pertinet, quòd Episcopus debeat esse *μῆς γυναῖκος ἀνήρ*, h. e. juxta cohabitantis Spiritus Sancti, conscientiæ, & pudoris naturalis dictamen, non solum corpus intaminatum, sed etiam affectuum & cordis puritatem, per preces, & occasionum vitationem conservans.

§. 11. Non prohibentur igitur ministri *matrimonio*, re inter omnes honorabili Heb. 13, 4. liberâ 1. Cor. 7. c. 9, 5. juris divini præcepti Gen. 1, 28. & naturalis, ut patet ex appetitu propagationis, omnibus inuito, probata Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum Sancti-

Etitati nil deroganti, quod enim cibus est ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, inquit Augustinus: Sed *polygamia*, sive plurimum uxorum, *ἡ τῶν*, uno eodemque tempore, usui. Ubi tamen quatuor distinctas reperias sententias, quarum *prima*, statuit polygamiam vetari Jure naturali, adeoque propter Juris naturalis immutabilitatem, cum Patriarchis agit strictissime: *Secunda* est Hugonis & Guilielmi, Grotiorum, statuentium in V. T. nullibi, sed tantum in N. T. à Christo novo Legislatore prohibitam: *Tertia* est statuentium nullo Jure divino, sed tantum humano positivo prohibitam, adeoque si Magistratus vellet concedere, licitam. *Quarta* denique statuentium Jure divino positivo primævo, quod sicut & divortium potuit Legislator dispensare, prohibitam, non verò Jure naturæ. Cui sententiæ cum Theologis gravissimis subscribimus. Videatur interea Magn. Dn. D. Alberti Prof. Publ. Lips. Præceptoris æternum devenerandi Compend. Juris Naturæ par. 2. c. 10. §. 17.

§. 12. Errant proinde Pontificii, non modò ignominiosè dictis Scripturæ depravatis rem sanctissimam impetentes, accommodando illud: *Qui in carne sunt, Deo placere possunt; sed etiam universo cuidam ordini masculorum & femellarum, qui in plerisque Regnis quartam partem subditorum facit, in perpetuum libertate, quam habent Jure divino & naturali interdicens, cum tamen nullum præceptum Juris N. omitti possit ob positivum, quia hoc illò inferius, contrarium insuper jubeat universalitas regulæ I. Tim. 4, 4. μηδὲν ἀπόβλητον, nihil rejiciendum, quod per divinam creationem naturali gaudet bonitate. Hinc Campegius, Piggus, Eccius, & Hofius affirmarunt gravius peccare Sacerdotem, qui uxorem ducat, quàm qui scortetur. Et dixisse aliquando Episcopum quendam, refert Wolfius, Sacerdoti conjugato: Si voluisses rem habere, aut libidines exercere, cum Diabolo, scortis, masculis, vel brutis, absolveremus Te à peccatis, nunc verò quia uxorem duxisti, cogimur te excommunicare & tradere Diabolo. Factum proinde, ut tempore Gregorii M. Papæ, in piscinis Romanis 6000. infantum ex stupris natorum, & clam submersorum, capita inventa fuerint, ut refert Frölichius in Itiner. p. 173. imò quod nefandum, 45000. mulierum prostrati pudoris, pro lacteo unius anni tributo, Germanicè *Milchjins* Papæ magno suo amorum Deo, 30000. ducatorum numerasse, uti refert Hieron, Marius. §. 13.*

§. 13. Ad septimum Decalogi præceptum pertinet, quòd non debeat esse ἀρχαερδής, turpis lucri cupidus, sed suà contentus fore, in contractibus, cuiq; suum factò interno & externo tribuat.

§. 14. Non prohibetur igitur Ecclesiæ ministris simplices & absolutè rei familiaris cura, passim cum armentis & agris conjuncta. modò non major alendi pecoris excolendorumq; agrorum, quàm negotiorum Ecclesiasticorum promovendæq; salutis auditorum, ratio habeatur. Gravissimè proinde Theophylactus Patriarcha Constantinopolitanus, erravit, qui cum magno ferretur amore in eqvos, multas etiam aleret eqvas, die sancto magnæ Quintæ, ut eqvuleum eqvam parientem spectaret, sacra passionalia interrupta reliquit.

§. 15. Nec etiam nummus confessionarius, in privatâ ἐξουλογήσει, decimæ, stipendia prohibentur. Quis enim suis stipendiis militat? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de fructu ejus non manducat, i. Cor. 9, 7. Non debet igitur animarum piscatori invideri, si quando in pisce, non obstante hæreditate, patrimonioq;, staterem inveniat, quem non quæsivit ut debitum, sed ut sponte oblatum accepit, non in absolutionis, sed in qualiscunq; compensationis & gratitudinis signum, *cùm sustentatio sit Juris divini*, Gal. 6, 6. Levit. ult. v. 30. Num. 18, 21. Mal. 3, v. 10. Joh. 12, 6. Luc. 10, 7. & *necessitatis*, modus verò & quantitas ex pietate, caritate, & commoditate, aestimentur. Ita Melchisedechus Sacerdos altissimi, habebat plane Regias facultates, nec tamen ab Abrahamo decimas accipere recusavit, Gen. 14, 20. *Cavendum tamen sedulo ac diligenter, ne vel ζυψήσις*, seu negotiatio cerevisiaria (nisi jus municipale respectu ædium propriarum adhibeat moderationem) luxuriæ occasionem domesticis exhibeat, *vel præpostera φιλοζηνματία*, nimium quantum auctoritati Ecclesiasticæ officiat, 2. Tim. 2, 4. *vel alterius orthodoxi Pastoris, auditorum ad confessionem, coacta pertractio*, seditionibus occasionem præbeat: *vel deniq; affectatum Medicinæ studium*, non necessitatis & caritatis, cui Lex non potest statui, sed exigui lucelli spe, *terminos vocationis suæ transcedat*, Siracid. 38, 25. seqq. i. Cor. 7, 17. 20.

§. 16. Ad octavum præceptum pertinet, ut Episcopus non sit

ματαιόλογος vaniloquus, sive ut Dannhæwerus in Cas. Consc. loquitur, confidenti loquentissimus, quod vitium est hypocriseos politicae prudentiae Schemate velatum: sed glossarchiam prudenti & moderato silentio, affectuum timore Dei castigantium sinceritate, verborum utilitate, rerum veritate, quoad fieri potest, Verbo Dei hac ratione fidem facturum, exerceat: *instructus sit Articularum Doctrinae Christianae scientia*, ad ἑποτύπωσιν ὑγιαίνοντων λόγων, exacta, 2. Tim. 1, v. 13. Quomodo enim auditores suos informabit, si ipse informanda ignoret? *nec sit νεόφυτος*, 1. Tim. 3, 6. sive nuper implantatus, ne superbiae typho inflatus, dicat, vel faciat, quæ adversariorum calumniis sunt obnoxia, vel etiam novitate potestatis arbitretur se cæteris digniorem. Publicè peccantes, post privatam dehortationem, legalem comminationem, gradualem animadversionem neglectam, publicè more Pauli, 1. Tim. 1, 20. Gal. 2, 14. corripiat, imò quandoq; excommunicatione (quam Jus Episcopale certo modo sibi, non scilicet, quæ potestatem *αὐτοκρατορικὴν* vel *πλιτικὴν*, nec absolutam, sed Jurisdictionis sive *κληρικὴν* Matth. 18, 17. vendicat) non tamen sine mandato Consistorii, utatur, exemplo Ambrosii Mediolanensium Episcopi, qui Theodosio 7000. nocentium & innocentium, sine discrimine ætatis, sexusq;, Thessalonice, ob Præsidis Boterichæ nonnullorumq; nobilium cædem, *obtruncanti*, sacris, introituq; templi interdixit, septemq; mensium censuram, donec lacrumis testaretur poenitentiam, imposuit. Quod tamen facinus, cum habeat suos olores & basiatores, in medio relinqvimus, ac tantum *concludimus ab Ambrosio excommunicante, ad Papam plerumq; imperio privantem, cum illi in Mediolanensi Episcopatu non successerit N. V. G.* Confer Dannhauer, Theol. Conscient. par. II. Dial. 3. p. 1164. Privatim verò peccantes, privatà, quoad hoc, hic, & nunc, eaq; blanda admonitione corripiat, sine personarum discrimine, Esa. 58, 1. 1. Tim. 5, v. 20. 1. Sam. 15, 19. 2. Sam. 12, 9. Deo ita mandante, Jer. 1, 6. cui obedire tenentur Ecclesiae ministri; nullibi tamen vel *excedat* vel *desciat*, secreta, inconvicta, inconfessa, dubia, seu in facto seu in jure non pro veris, nec contra, venditet, nec gravitatem suam vel (1) *importunâ dicacitate obnubilet*, exemplo Hugonis Petri, famosi scurræ, Ecclesias Reformatas & Presbyteriales foedissimis dicteriis

traducentis, qui in publicâ concione, Londini cùm multa pueriliter
& nugatoriè effutiisset, ex voce, CLasses, centū quinquaginta asses,
i. e. centum & quinquaginta asinos fecit. Idem in Concione 2. A-
prilis A. 1545. habitâ, Quod gladio cæpistis, inquit, verbo servate;
loquor de verbo, per quod Angeli fiunt Christiani. Vel exemplo
alius cujusdam ad Grenchillum dicentis; æquè licitum esse baptizare
canes, ac infantem; unde homines illi Novæ Lucis, pædobaptismum
variis modis exagitant, felè quandoq; velut infans baptizand⁹ esset,
fasciis involvèdo, ac vicinos convocando. Vel (2) blasphemâ garruli-
tate prostituat exemplo Antinomi cujusdam, ex pulpito clamantis;
Apage Legem, quæ homini pedes amputat, & postea eum hortatur
ut ambulet. De quibus consultatur Hornii Hist. Eccles. ubi plura
non sine horrore legentur. Quo etiam referendus venit Leo X.
Papa Romanus, Evangelium, fabulam de Christo vocans, Petroq;
Bembo, Cardinali, ex Evangelio locum citanti respondens. O quan-
tas nobis peperit hæc fabula divitias! Tales tamen pseudopastores
ob tantam nominis divini blasphemationem, doctrinæ sanæ in fun-
damentalibus præsertim adulterationem, i. everfionem, vitia deniq;
& morum turpitudinem, ab Ecclesia particulari removendos & de-
ponendos docet natura parium, quod enim valet ad legitimum
vocando impedimentum afferendum, id ipsum ad vocatum abd-
candum valere debet.

§. 17. Causa materialis *Objectiva*, est grex Domini, Pastorum
curæ & fidei commissus, 1. Pet. 5, 2. Act. 20, 28. seu Ecclesia tribus
statibus constans, quæ dependenter à Deo personas, vitæ morumq;
præstantiâ claras, literarum, quas vocatorias vocant beneficio, præ-
missis ad Deum conjunctis animis, vocat in Ecclesiam particula-
rem, ad purè prædicandum Verbum Dei, & legitimè administran-
dum Sacramenta.

VI. CAUSA FORMALIS Vocationis, consistit in certis a-
ctibus, consuetudine & jure Ecclesiastico receptis, quales sunt, I. E-
LECTIO, quæ nihil est aliud quàm certæ, cujuscunq; sit, personæ,
certo tempore Subjecti & Objecti ad munus Ecclesiasticum rite
perficiendum, non tamen per sortem cœcum illum impetum, sed
prudentiam potius humanam, calidasq; preces, designatio. Im-
pro-

probantur igitur (1) constitutiones Papales, annum præcisè trigesi-
imum ætatis, sicut in V. T. Num. 4, 3. exemplo Christi Luc. 3, 23. in
candidatis ministerii requirentes, Christus enim exemplo suo non
præscripsit regulam, unde Paulus de Timotheo Episcopo, 1. Tim. 4,
v. 12. Nemo tuam, inquit, adolescentiam contemnat, & Deus ipse
ad Jeremiam c. 1, 7. Ne dicas, puer sum, ad omnia ad quæ mittam
Te, ibis, & universa, quæ præcipiam Tibi, loqueris. (2) Cùm Ec-
clesia angustos Judææ limites transcenderit, dignitasq; hæreditaria
Levitarum, fuerit typica, adumbrans officium Christi mediatorium
cum nemine communicari, imò Levitas officium suum non facien-
tes Deus per Prophetas ex aliis tribubus exitatos, in ordinem rede-
gerit, ad certam aliquam familiam vel gentem, Ecclesiasticum ministe-
rium non debet alligari. (3) Improbantur expectativæ seu præbendæ,
quas nonnulli mendicant, Sede nondum vacante à Patronis emen-
dicant, factâ elocatione Paroeciarum ad mensem, bimestre, semestre,
atq; ita libertatem electionis, Ecclesiæ jure divino competentem
labefactant, contra ipsos veteres Canones Concilii Lateranensis &
Tridentini, in quo sessione 24. c. 19. statuitur: Qui in vivorum Sa-
cerdotum loco ponuntur hoc ipso ab Ecclesiæ communionem pel-
lentos esse, quo se vivis Sacerdotibus successores adhiberi patie-
bantur. Adjungi tamen, salva vocantis potestate possunt, ut eme-
riti Seneciones, multâ laborum parte sublevantur. (4) Sortilegia,
quibus electio committitur, etiam exulare debent, quamvis enim for-
tes (puta, quæ speciali DEI mandato, ac interno Spiritûs Sancti im-
pulsu jaciuntur) dicantur à Deo temperari, Matthiasq; sortis bene-
ficio in numerum Apostolorum sit cooptatus Act. 1, 26. (scilicet ele-
ctione extraordinaria) tamen cùm Deus sortem nullibi legitur in-
stituisse, aut ad instituendam electionem demandasse, nec promisit
fortibus mediantibus promotionem, imprudentiæ profectò sum-
mæ esset, fortuito sortium jactui committere, quod humanâ pru-
dentia, per divinam ordinationem poterat institui. Si tamen duo
eligendi paribus votis & æqualibus donis ac virtutibus gaudeant,
sine peccato potest institui sortitio. Cum enim non nisi unus vo-
cari queat, neuterq; requisitorum privilegio præstet, ne quid affecti-
bus dari videatur, fors honestè intervenire, remq; decidere potest.
Vid. Bald. Cas. Consc. l. 4. c. 5. cas. 6.

II. DENOMINATI REPRÆSENTATIO, quã Candidatus ad ministerium electus, à Magistratu Politico denominatur, & Confessorio, ut melius de vita & doctrina constare possit, repræsentatur.

III. EXAMINATIO, seu diligens in ordinandi qualitates, ad ministerium per preces necessarias, ab ipso Paulo requisita 1. Tim. 5, 21. 22. ne illotis manibus clausisq; oculis, sacratissimis se rebus ingerat, δοκιμασία instituitur, partim propter Prophetorum, Apostolicorum, & Ecclesiarum Nostrarum Symbolicorum librorum cognitionem, partim propter orthodoxam eorundem in docendo confessionem; in quibus omnibus si ordinandus bene non sterit, sub conditione resarciendi neglecta ad ordinationem admitti non debet, 1. Tim. 1, 2. Tit. 1, 9. cum conditio possit fallere, deq; rudi, fieri negligentia rudior. Consuevit verò post Vocationem literalem, vel oralem, adeoq; strictè sic dictam, hac examinatio institui, quod tamen B. Gerhardus improbat convenientius fore dicens si examen illud præmittatur, antequam ad concionem, δοκιμαστικὴν, candidatus præsentetur, & literas Vocationis accipiat; 1. Quia Vocato, at insufficienti, non sine perpetuâ ignominia denegari potest ordinatione, quæ tamen si præcederet, examen evitaretur, aut Candidato ob insufficientiam minori Ecclesiæ, spe consequendæ melioris, admoveri posset.

IV. CONFIRMATIO, quæ examinationem excipit juxta Apostoli mandatum 1. Tim. 3, 10. estq; nihil aliud, quàm personæ electæ, repræsentatæ & examinatæ per summum Magistratum, pro legitimo ministro, agnitio.

V. ORDINATIO, est actus Presbyterii disparatus, quò persona, electa, repræsentata, examinata, & confirmata, per χειροθεσίαν à Presbytero sive Episcopo, 1. Tim. 4, 14. spectante Ecclesiâ, non tamen mediante unctionis Papalis (quam Sacramentum sive signum imò medium invisibilis unctionis vocant) ceremoniâ, habente conjunctam opinionem necessitatis, præter omne Christi, Apostolorumq; documentum, aut mandatum, consecratur, de Vocatione certior redditur, publiceq; officii sui, sumptâ stipulatione servandii regulas, quæ in ordinatione ab omnibus exiguntur, admonetur. Itaq; *Ordinatio non quidem ratione peculiaris alicujus præcepti Pontificii,*

divini, quale non potest ostēdi, nec ratione effectū alicujus, quale Pontificii, nempe characterem indelebilem, seu absolutam quandam potestatem & qualitatem, ex opere operato dona ad ministerium necessaria promoventem, sive insinuantem se in ordinationis momento in animam ordinati, & configurantem cum Christo, comminiscuntur, quem tamen non injuriosè quis dixerit Characterem illum apocalypticum c. 13, 16. neq; enim effectus hic, sive intrinseca & extrinseca docendi habilitas, semper per Ordinationem absolutè confertur, Simon enim Magus, Act. 8, 19. Ordinationem, non tamē gratiam gratis datam, impetravit, Paulus etiam & Barnabas Act. 9, v. 29. c. 13, 3. sine Ordinatione, Oeconomiam Ecclesiasticam valide poterant obire: *nec ratione absolutæ & simplicis necessitatis*, quasi nec tempore, quò ordinationis ritus peragi nequit, v. g. pestis, famis, obsidionis, tyrannidis, &c. legitimè vocatus, ministerium exercere non posset, ubi tamen officium docendi, & administrandi Sacramenta, negligi non debent; nisi Juris Canonici rigore, quò non dicitur Episcopus, nisi consecratus, i. e. ordinatus; sed tantum ratione intercessionis ordinantium, impetrationis gratiæ, seu idoneitatis intrinsece 1. Tim. 4, 14. ad docendum, & capacitatis Subjecti vocati publice declarandæ, segregationis deniq; solennis à negotiis secularibus, nec non apud Deum commendationis, ad Essentiam Vocationis requiritur: Vide Repetit. Breviar. Hülsemann. c. 19. §. 9. Ritus igitur separandi Doctores à Laicis est Act. 13, 2. de necessitate præcepti divini, ritualium verò numerus & forma variant, Act. 6, 6. c. 13, 3. Patet proinde (1) Ordinationem respicere certum aliquem locum, nec ordinandum esse quenquam, nisi præcedente vocatione, quod confirmat Jus Canonicum, in quo peculiaris extat dispositio, quòd nullus sine titulo ordinari debeat. 2. *Χειρὶ Θεοῦ retineri liberè*, non quòd sit Sacramentale aliquod Symbolum à Christo per insufflationem institutum, sed quia ex usu Apostolicæ Ecclesiæ descendit, Act. 6, 6. 1. Tim. 4, 14. c. 5, 22. 2. Tim. 1, 6. utilesq; præbet commonefactiones. 3. Ordinationem non esse Sacramentum verè propriè & specificè dictum, cum non sit totius Ecclesiæ bonum, sed tantum ad ministros pertineat, non habeat externum elementum, Sacramentale puta Symbolum à Christo in Novo Testamento institutum, vel adhiberi mandarum, cui annexa sit promissio gratiæ ad remissionem peccatorum exhibendam, applicandam, & obsignandam. Habet quidem ritum externum, manuum impositionem ab ipsis A-

D

po-

postolis, qui omnia ἐνοχρησάντων, καὶ τῶν ταύτων instituerunt 1. Cor. 14.
ult. adhibitam, non tamen ut sacramentale symbolum, sed ut cere-
moniam liberam, quâ persona electa, precibus Deo commendata,
officio sacro instar victimæ Deo offerendæ, per manuum imposi-
tionem mancipatur, legitimamq; electionem omnibus publico si-
no testatam facit. Quod elegantissimè expressit Hunnius, part. II.
Exam. assert. Arturianæ: Vocatio, inquit, & Electio legitima, facit
ministerium, ordinatio verò est illius vocationis coram coetu Eccle-
siæ declaratio, sicut non coronatio facit Regem, sed electio. Co-
ronatio verò est tantùm solennis Regis renunciatio. 4. *Non solè
Papæ ministros Ecclesiæ ordinandi, competere monopolium, nec jure di-
vino, ita Episcopali muneri competere, ut à Presbyteris, postulante
necessitatis & utilitatis casu, quo & Laicus baptismum administra-
re potest exerceri nequeat, cum horum quâ jurisdictionem & pote-
statem eadem sit conditio, gradusq; tantum voluit in iis Divina
Pronæa. Ecclesiæ igitur consuetudine, boni ordinis, dignitatis,
ætatis, evitandorumq; Schismatum causâ, institutâ, illis potestatem
ordinandi tribuimus, his non exceptis 1. Tim. 4, 14. quia non tan-
tùm nomina & tituli sed etiam officia Episcoporum communican-
tur Presbyteris, imò propter identitatem & communionem officii
introducitur communio nominum & titulorum, juxta illud: Mo-
dus prædicandi sequitur modum essendi. Quod tantâ luce radiat,
ut ipse Bellarminus lib. 1. de Cler. c. 15. fateri cogatur, tempore A-
postolorum nomina illa Episcopus & Presbyter communia fuisse o-
mnibus Sacerdotibus, tam Majoribus quos nunc Episcopos, quàm
Minoribus, quos Presbyteros vocitamus. Et Magister Sententia-
rum, lib. 4. Dist. 24. Apud Veteres, inquit, iidem Episcopi & Pres-
byteri fuerunt. Et Jus Canonicum, part. 1. Dist. 95. c. 6. Quia scri-
ptum est Presbyteri duplici honore habeantur maximè qui labo-
rant in verbo - - decet eos omnia Dei Sacramenta complere. Ergo
& ordinis collationem: Ordinem enim esse Sacramentum Ponti-
ficiis omnibus constat, Confer Act. 20, 28. 1. Tim. 3, 1. Tit. 1, 5. Phil. 1,
v. 1. ubi Apostolus scribit: Paulus & Timotheus, Servi Jesu Christi,
omnibus Sanctis, qui sunt Philippis unâ cum Episcopis & Diaconis
(vulgata habet Diaconibus) unde patet cum in una Ecclesia non
possit esse nisi unus Episcopus, qui à Presbytero quâ officium di-
stinguitur, omnes Pastores indigitari, imprimis cum distinctio hæc
non sit Juris divini, sed resolvatur in principia humanæ constitu-*

tio-

tionis. Erravit proinde errorem gravissimum, Papa Johannes XII. cumq; conjuratis papicolis errat hodiernum; quod ille juvenis annos natus duos de viginti, Neronem potius quam Episcopum egerit, *Diaconos in stabulo equorum ordinavit*, Episcopos pretio creavit, & eos quidem interdum decem annorum, Confessarium suum oculis & vita privaverit, Cardinales virilibus amputatis occiderit, in Diaboli sanitatem vinum biberit, &c. isti vero ex hoc principio concludant nostrarum Ecclesiarum Ministros illegitimos Pastores, cum non sint ordinati ab Episcopis, nec Lutero, (ordinatione Diaboli, Doctoris illius summi, non tamen promoti, ordinato) cum suis Symmystis competisse potestatem ordinandi, cum non fuerit Episcopus sed tantum Presbyter; Verum, revelata Evangelii luce cum Pontificii, nisi ab agnita veritate quam haeresin dicebant, reducibus ad gremium Ecclesiae Romanae, ordinationem promitterent, id vero per conscientiam nec Doctores nec auditores redivivae Spirituali Babylone Ecclesiae, facere vellent, ordinarii in super Doctores in lupos degenerarent, nec officio suo satisfacerent, utiq; Presbyteris necessitas ordinandi ex charitatis lege injecta fuit, nisi Ecclesiam verbo ministrisq; verbi destitutam voluissent. Lutheri vero ordinationem in Ecclesia Romana, non aequivocè sed ritè peractam, nemo forte Pontificiorum saniorum, nisi simul Ecclesiae Romanae, in qua iste ordinatus fuit ab Episcopo veram ordinationem, sublatam vellet, facile denegaverit. Non debebat igitur alios ordinaturus, ab haereticis jam tum ordinatus, propter irrevocabilitatem fidei semel datae 1. Tim. 5, 12. in Ecclesia nostra iterum ordinari; siquidem & in Romana Ecclesia, in qua aliqua Deo per Baptistum, Decalogum, Symbolum Apostolicum, aliaq; substantialia & fundamentalia Doctrinae Christianae, rituumq; capita, Ecclesia conservatur; quin potius per *χειροθεσιαν* Presbyterii & publicas Ecclesiae preces, collata ordinatio, pro rata habenda, nec iteranda venit. Ubi enim substantialia conservata sunt alicujus ritus ibi de ritus integritate nulla venit dubitatio, sicut nec Sacramentum Baptismi, modo integrè ab haereticis proponatur, ulla indiget repetitione. Videatur de his B. Hülsemann. repetit, Brev. c. 19. Apologia Aug. Confess. art. 14. Baron, tomo 10. Schulting, in Praefat. Bibliothecae tomi 3.

VI. His peractis succedit **INVESTITURA**, actus Ecclesiae solennis, in Transactione Passaviensi ad Jus Episcopale Principum Augustanae Confessioni addictorum, translatus, quo persona legitime vocata & ordinata, certae Ecclesiae sistitur à Superintendente, ac praelectis confirmationis literis introducitur, cum commendatione officii, gregisq; ad frequenter audiendum Dei verbum commonefactione. Distinguitur verò ab Ordinatione, quod haec duntaxat semel, illa verò quoties jam ante ordinatus, transfertur aut promovetur, institui soleat. Convenit autem in eo, quod non sit de essentia ministerii, cum dentur ministri, qui vel serò post accessum ad Ecclesiam, vel planè non, à Superintendente per actum Investiturae Ecclesiae sistuntur. Vide Gerhard. l. c. §. 170.

VII. **CAUSA FINALIS**, Vocationis, consistit in actuum divinitus mandatorum, ut sunt pura verbi Dei praedicatio, per quam Spiritus Sanctus est efficax ad interiorum cordis illuminationem Act. 26, 18. & legitima Sacramentorum, quae sunt gratiae & promissionum Evangelicorum sigilla, administratio, functione; Prior quidem actus ad omnes se extendit, Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. completiturq; sua latitudine refutationem, correctionem, commonefactionem, Tit. 1, 9. alter verò consistit in baptizando, Sacram Coenam consecrando, distribuendo, Matth. 28, 19. Joh. 3, 22. Joh. 4, 2.

§. I. Ex quibus colligitur, finem vocationis recurrere *partim advocantem*, (1) Deum propter nominis sui gloriam, quos è caetu selegit in suo nomine vocantem, & mittentem, unde currere, & privatâ autoritate antequam mittuntur prophetare dicuntur pseudoprophetae Jer. 23, 21. talesq; Joh. 10, 8. non vocati, dicuntur fures, latrones, quia non modò sunt non vocati, sed falsam insuper afferunt doctrinam. (2) Auditores, qui de Vocati qualitatibus certi facti, ad fidem, & per hanc sibi faciunt aditum ad Vitam aeternam, ex frequenti auditione & examinatione (exemplo Beroensium Act. 17, 11.) verbi divini, credentes tam firmum & immobile esse, ut nec angelo, aliud Verbum annuncianti, credi debeat, Gal. 1, 8. Deut. 30, v. 11. Rom. 10, 6. quae consideratio excitat in auditorum animis erga ministerium Ecclesiasticum, reverentiam, obedientiam, bonamq; famam. Ita Sozomenus lib. 5. Hist. c. 18. Ambrosii virtutum celsi-

celitudine, commotum, scribit, Imperatorem Theodosiū, adeo quī-
dem ut publicè in summo templo Constantinopolitanæ Urbis ex-
clamaret: Ἀμβρόσιον οἶδα μόνον Ἐπίσκοπον ἀξίως καλεόμενον. 2. *Par-*
tium ad Vocatum, qui per vocationem, officium suum modo legitimo
seu voluntati divinæ conformiter, ex idoneitate, functioni respon-
dente, Patronorum regulatâ voce, &c. sciens se consecutum esse, re-
vocat illud Lutheri tom. IV. *Jenen. Nostra consolatio, qui sumus in*
ministerio verbi, hæc est, quòd habeamus officium sanctum & cœleste, ad
quod rite vocati gloriamur contra omnes portas inferorum: indeq; fir-
mam concipit fiduciam, Deum velle suâ operâ in salute hominum
uti: non prædicat sua placita, vel hominum, mandata & commenta,
sed totus pendet ex ore magistri, Matth. 28, 20. contemnit odia
mundi, intercedit pro grege, Levit. 5, 6. 16. 1. Sam. 12, 25. Rom. 1, 8. 9.
Eph. 3, 14. non verò instar Zebedæitarum ignem & fulmina de cœ-
lo imprecatur, Luc. 9, 54. consolatur & absolvit pœnitentes, pro-
pter claves, h. e. quia habet ministerium, per quod Deus Mundum
sibi reconciliat, 2. Cor. 5, 18. perterret impœnitentes, eorumq; pec-
cata ministerialiter seu potestate à Christo concessâ retinet Joh. 20,
v. 23. sive: punit pœnis spiritualibus, 1. Tim. 1, 19. 20. internis & ex-
ternis, privativis & positivis, sed non afflictivis corporis, quoad sen-
sum tactûs, nisi sympatheticè concomitanter, per consensum puta
dolorificum animæ cum corpore, ita ut πῶτον δεκτικὸν pænæ Eccle-
siasticæ e. g. exclusionis à cætu publico, & traditionis in manus Sa-
tanæ, ad afflictionem carnis, sit animus flagitiosi, 1. Timoth. 1, 20.
1. Cor. 5, 4. 5. 11.

VIII. DIVISIO VOCATIONIS est vel *realis* vel *nominalis*,
Ad *realem* refertur *Immediata* seu *extraordinaria*, & *mediata* seu *or-*
dinaria. *Illa est vel absolutè talis*, ut cum Deus sine hominum inter-
veniente arbitrariâ electione, & ἀμέσως, vocat, ut Samuelem 1. Sam.
3, 4. Esaiam c. 6, 8. cum cæteris Prophetis, Johannem Baptistam,
Luc. 3, 2. cujus vocatio multis retro seculis fuit prædicta Esa. 40, 3.
Mal. 3, 1. Apostolos, Matth. 10, 1. Luc. 6, 13. discipulos septuaginta,
Luc. 10, 1. Paulum, Act. 9, 15. c. 20, 16. Rom. 1, 5. unde is negat se ab
homine accepisse Evangelium, Gal. 1, 1. quamvis ad Ananiam, in ho-
norem ministerii missus, discere debuerit facienda Act. 9, 6. *Vel re-*
spectivè, cum Deus certam nominat personam, sed tamen *vel per alios*
tanquam internuncios, eam vocat, ut Aaronem, Ex. 4, 15. per Mo-
sem;

sem; Elifæum 1. Reg. 19, 19. per Eliam: *Vel per sortem*, velut Mat-
 thiam, Act. 1, 26. in locum Judæ proditoris, designat. Et talis jam post
 Apostolorum tempora cessavit, nec temerè (quamvis hîc nihil possim
 vel debeamus liberrimæ Dei voluntati præscribere) debet expectari
 à quoquâ, cum destituatur expressa Scripturæ promissione, necessi-
 tate, Prophetiæ sint obfignatæ, Apostoliq; scientes eam finem suum
 accepisse, mediatè per singulas Ecclesias Presbyteros constituerint,
 Act. 14, 23. 2. Tim. 2, 2. Tit. 1, 5. formulamq; constituendi præscri-
 pserint 1. Tim. 3. Tit. 1. summum deniq; sit Vocationis extraor-
 nariæ periculum, cum & Diabolus possit se transformare in Ange-
 lum lucis & Pseudo-Propheta sub ovili verorum Pastorum vestitu,
 venire soleant, Mat. 24, 24. 2. Thess. 2, 9. ut loquitur Summè Rever. &
 Mag. Dn. D. Præf. Thol. Pos. Pol. p. 151. Myst. Ista procedit quidè ori-
 ginaliter à Deo, Rom. 10, 15. Heb. 5, 4. ejusq; promissionibus gaudet,
 unde Divina vocatur, cum secundum Verbi Divini regulam institua-
 tur vocantesq; dubio procul divinâ directione agantur, operâ tamè
 & electione hominum arbitrariâ [quod] dicitur delegatum nititur,
 adeoq; latè dicta Electionem, Præsentationem, Ordinationem,
 Confirmationem, Vocationem deniq; ipsam per literas, strictè sic
 dictam, Investituramq; complectitur. Ita Act. 20, 28. Præfecti &
 Presbyteri Ecclesiæ Ephesinæ, electi & constituti ab hominibus, di-
 cuntur tamen constituti à Spiritu Sancto.

§. 2. Differentia utriusq;, in eo consistere videtur, quòd *illa*
 (1) semper habuerit immediatam illuminationem, (2) ut plurimum,
 non tamen semper, exemplo Oseæ, Sophoniæ, Aggæi, Johannis c. 10,
 v. 41. immediatè à Deo vocati Luc. 3, 2. miraculorum donum, pro-
 bandæ vocationis causâ Exodi 4, 2. Num. 17, 8. 1. Sam. 3, 12. c. 7, 10.
 1. Sam. 17, 35. 50. Matth. 10, 8. Luc. 10, 9. Unde Paulus signa &
 prodigia vocat testimonium vocationis suæ & Apostolatûs, 2. Cor.
 12, 13. (3) non amplius sit expectanda (4) privilegio ubivis docendi
 gaudeat, (5) ad Politicum Imperium se extendat, (6) sine externâ &
 mediatâ omninò sit sufficiens: hæc verò per ordinaria media divi-
 nitus ad hoc constituta, quotidie ad certam Ecclesiam instituendam
 peragatur, & tantum intra limites Ecclesiasticos contenta, Luc. 22,
 v. 28. sine divina vocatione consistere non possit.

§. 3. Ad *nominalem* refertur vocatio legitima & illegitima.
Illæ, fit jure & lege, potestq; considerari (1) respectu vocantis, tum
 prin-

principalis, DEI, qui solus est vocationis Ecclesiasticæ autor, tum *mi-*
nus principalis, qui non temerè, sed præviis precibus feriis, non affe-
ctibus, affinitate, intercessione *deus & gratia* in transversum actus oc-
cupari debet in personæ nominatione, cui etiam ministerium sub-
terfugienti, ne divinæ vocationi reluctetur, persuadeat, sin porro
perrexit, de alio prospiciat, nec reluctanti deferat, ne vel cum Am-
monio Monacho ob similem coactionem, auriculam; vel cum Fr.
Thoma pollicem sibi præscindere, quo minùs ob corporis defor-
mitatem, ad id eligatur, non reformidet. Viderit etiam, ne obvios
quosvis servos potius quàm Pastores, imperii exercendi causâ cum
Jeroboamo eligat, qui ut vitulinos cultûs posset instaurare, è fece
plebis infimâ, exclusis Doctorum mithris, Sacerdotes cooptavit;
sed potius talem seligat, qui ad scopum vocationis & auditionis
propius collineat. Ita cum inter ministros vocandos vel audien-
dos optionem instituit, licet nullus alteri in audiendo, singulis ver-
bum Dei prædicantibus, præferendus veniat, stante tamen impari-
tate donorum, factorum, fructuum, 1. Cor. 15, 10. non more coactus,
sed effectum tractus, Theologum crucis sive in *Prædicamento Passionis*
natum, Theologo lucis sive in *Prædicamento actionis* educato, adul-
torem neophyto, in vitium spontaneo: secundò vocatum & jam
satis alteratum 1. Tim. 3, 13. capræ saltanti & in exercitatio, aptio-
rem inepto, subtiliorem hebetiori, cæteris paribus, præferat, 2. *Re-*
spectu Vocati, qui debet sedulò cavere, ne pecuniis, fraudibus, emen-
dicatis suffragiis, vel quibuscunq; malis artibus vocationem suam
præveniat, adeoq; poppy smis superiorum brachium eblandiens,
per *casus obliquos*, *Genitivum* necessitudinis, *Dativum* Simonix, *Accu-*
sativum Calumniæ, *Ablativum* Violentiæ, dignitatem tantam con-
sequi allaboret: quamvis, requisitis Ministerium constituentibus
instructus, liberumq; de se iudicium relinquens dignitatem hanc
desiderio pio, ordinario, & à Deo profecto, h. e. ne desiderium Epi-
scopatûs degeneret in cursum, expetere possit, 1. Tim. 3, 1. Matth. 25,
v. 28. imò propter illustrandam magis nominis divini gloriam fru-
ctusq; uberiores Ecclesiæ, aeris insuper lociq; salubritatem, nisi Ec-
clesia, quæ vocat, commodè eo careat, & à quâ vocatur, ægrè dimit-
tat, à *pinguiori ad aridiorum*, *vocatus concedat*, aut etiam in signum
gra-

gratitudinis, nutu vocantium, modò non invitus, & absq; amore defuncti Pastoris viduam, vel filiam matrimonio sibi jungat, Vid. B. Balduin. Caf. Consc. 1. 4. c. 5. caf. 9.

§. 4. Ista fit contra leges Scripturæ & Naturæ, ut si quis ausu proprio, absq; Dei hominumq; suffragio, docendi provinciam arripiat, vel tempore famis, pestis, temeritate, desperatione, ambitione, Simoniâ, avaritiâq; impulsus, Ecclesiâ suâ deserat, vel defectu aliquo cum insigni adq; ministerii scopû ineptâ deformitate Lev. 21, 16. laboret, v. g. cui est defectus brachii manuivè, epilepsia, quâ tamè Mahomed autoritatem *Ἰεοπυδῶσεως* sibi comparavit; vel instar mercenarii, certo annorum numero se devinciat, & alliget; vel in locum injustè remoti adspiret, sicq; tacitè in injustam expulsionem consentiat; vel muneribus & pecuniis sibi viam sternat. Quod Aeneas Sylvius Pius II. dictus, Epist. 66. in Ecclesia Romana observat, nihil est, inqviens, quod absq; argento Romana Curia dedat: ipsa manuum impositio, & Spirit. S. dona, venduntur, nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur. Et Baptista Mantuanus, homo Pontifici, Bonifacii, Ecclesiæ Lateranensis indulgentias innumeras, confirmantis, vanitatem verè denudat his verbis: venalia nobis Tempia, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ, Ignis, thura, preces, Cœlum venale, Deusq;. Quamvis propter unum vel alterum horum vitiorum Subjectis vocatis adhaerentium, vocatio non desinat esse divina, cum & illa vocatio, quæ ob vocantium ac vocatorum vitia, ex parte est illegitima, permissivè sit divina; Ministri enim mali, æquè ut Magistratus, sunt *entia pœnalia*, Amos. 3, 6. I. Reg. 22, 19. 22. 2. Thess. 2, 9. 10. Osee 13, 11.

§. 5. Si verò casu quo, duæ vel plures vocationes simul sibi offerantur, non ad signa divinitus danda recurrat, cum de illis ex Scriptura nihil explorati habeatur, nec Angelis hic facilè credat cum mali soleant se transformare in angelos lucis; sed ad quam maximè se dignum & aptum judicat, eam ambabus ulais amplectatur. Quin nec ex ministerio verbi legitimè, & non propter otium aut salarium ad Scholas vocatus descendere recuset, imprimis, si nec sufficientia habeat prædicandi dona, nec libenter audiat, Scholæ verò sint parvæ Ecclesiæ, in quibus multi Ecclesiæ Do-

cto-

dores simul laborarunt. Samuel enim Scholam habuit in Ramotha I. Sam. 7, 17. Elifæus habuit discipulos in Gilgala, 2. Reg. 4, v. 38. imò etiamnum in Academiis Theologi tam in Scholis, quam in templis docent.

§. 6. Quantum ad vocationem *Lutheri*, quam Pontificiæ, cum nihil in doctrina ejus ad lapidem Lydium examinata, reperiant, illegitimam ingeminant, quòd nec sit *immediata* ob defectum miraculorum, nec *mediata*, per Prælatos, sciendum probè, eum anno ætatis 24. Christi 1507. ad *Presbyteratum* vocatum fuisse, 2. ad *professionem Theologicam*, consentiente Electore Friderico, per D. Staupitium, Wittenbergæ, A. 1508. cum quâ tam officium accepit publicè docendi populum in Ecclesia Wittenbergensi, quàm officium publicè docendi & scribendi in Universitate, hæc enim duo vi foundationis hodieq; nisi quispiam alterutrum justis de causis fuerit deprecatus, imponuntur. 3. *Ad Doctoratum*, per Carolstadium, A. 1512. die 19. Martii, consentiente toto conventu Augustiniano, (quem per literas Vicarii Generalis Ordinis Augustiniani, Johannis Staupitii, suasq; die Mauritiæ datas, ex Erfordiensis Universitate invitaverat) solenniter promotum esse, facultatemq; docendi, disputandi, legendi, hic & ubiq; accepisse (quamvis promotio Doctoralis non sit vocatio, & ordinatio ad ministerium, nec Doctoris titulo decoratus, sine alia vocatione & ordinatione, potestatem docendi, vel alios ordinandi habeat in Ecclesia) cum prius insuper in actu Licentiatûs verbis conceptis ita juraverat: Juro, me Evangelicam veritatem pro virili defensurum, neq; Doctoratum in alia Academia recepturum.

§. 7. Si igitur hæc debuit triplici vocatione obstrictus, servare, non aliter potuit quàm fecit, facere, notando Anti-Christi idolomaniam, orthodoxa verbi divini prædicatione, & heterodoxorum dogmatum refutatione, quâ fretus tantâ animi *πίστησιν* ac *πληροφωσίαι* contradicentibus omnibus mundi Magnatibus, ferentibus, & ignem minitantibus, opus reformationis inchoavit, quantum nullus ante eum successu æquali, partim ob *fraudulentam operum divinorum administrationem*, partim ob *datæ fidei fractionem*, partim ob *diversam donorum rationem*, partim deniq; *divinam ordinationem*,
E quâ

quã tempus nondum adfuit, quò Anti-Christus debebat toti mundo denudari.

§. 8. Dum verò dicitur à falsa Ecclesia vocatus, ideoq; illegitimè, responderi potest simili ratione Ecclesiæ Romanæ ministros à falsa Ecclesia vocari, Ergo etiam illegitimè. Apostatam Lutherum fuisse ultro concedimus, si ab apostatæ Romanæ everfione, veluti Scipio Carthaginensis, à Carthaginis subverfione, nomen hoc sortiatur.

§. 9. Vocationem igitur ejus, quam ceremoniis, quibusdam essentiæ nihil detrahentibus, sub Papismo, at non vi Papismi, sed virtute altioris intentionis divinæ acceperat, legitimam, ordinariam, mediatam, mediantibus literis vocationis A. 1508. at donis eximiis, singularibus & supra communem modum fuisse, probant partim oracula & prophetiæ divinæ. de reformationis opere, Dan. 8, 25. Jer. 51, 48. Mal. 4, 5. 2. Theff. 2, 8. Apoc. 14, 8. 18. ubi non quidem conceptis verbis, quomodo nec apud ullum Prophetarum extat Jesum Christum Nazarenum esse Messiam, sed ex vaticiniorum eventu, circumstantiis, tempore, loco, Lutherus per angelum, lapsum Babylonis, Civitatis illius magnæ, quæ habuit regnum super Reges Terræ, h. e. Romæ, Apoc. 17, 18. cum Roma tunc haberit talem statum, prædicantem, intelligitur: partim prædictiones hominum fatidicæ, jam tum tempore Frid. Barbarossæ adumbratæ. Hic enim in Carinthia templum Inginga dictum ædificans, ut accolæ religionis specie attraheret, inter statuas lapideas exposuit Monachum quendam cingulo præcinctum, capite circumtonfo, supra quod majusculis erat scriptum: LUTHERUS. Ita Johannes Huss/cum contra datam fidem à Sigismundo, Constantiæ A. 1414. exureretur dixit: Hodie anferem uritis, (Huss enim Bohemis anferem significat) sed post centum annos ex meis cineribus nascetur olor, quem non poteritis assare. Et ejus discipulus Hieronymus Pragensis, repetito Præceptoris vaticinio reformationem prædixit, dicens: Post centum annos Deo & mihi respondebitis. Quod vaticinium Bohemos, desiderio Hussi, numismatibus impressisse, tradit Petrus Matthæus. Vide hæc & similia in Hermathena Cl. M. Georgii Lani, p. 112. 113. *Formale* igitur seu Vocatio ipsa fuit

fuit ordinarium quid, *materiale* verò seu dona ad vocationem necessaria, extraordinarium. Distinguendum manet *officium à persona* ordinantis, sive *impuritas ordinantis ab ordinatione*. Licet Lutherus ab hæreticis, legitimè tamen fuit ordinatus. Nam sicut appositio partium non necessariarum, ad materiam Baptismi & calicis eucharistici, essentiam Sacramentorum non tollit; ita appositio partium non necessariarum ad functionem Sacerdotalem, quæ in ordinationibus Presbyterorum & Episcoporum fit, non tollit essentiam ordinationis, modò potestas docendi verbum, & administrandi Sacramenta præcipuè conferatur ordinandis.

IX. Consequentia Vocationis, requirunt, ut (1) *Vocatus alio non facile nisi ab universo auditorio Vatinianum odium in se derivatum videat*, Luc. 4, 28. Joh. 8. *Vocationi suæ nuncium remittat*, præmissis ad Deum piis precibus, petitoq; prudentiorum consilio, imprimis si majori cum utilitate alibi se putat laboraturum, Rom. 12, v. 6. 1. Cor. 12, 5. 6. 1. Tim. 3, 13. Matth. 25, 15. & nec expectans, nec cogitans evocetur. (2) *In persecutione generali manentibus ovibus maneat, fugientibus, præsertim si specialiter inquiratur, fugiat*, exemplo Eliæ, 1. Reg. 19, 3. Pauli, Act. 9, 25. Christi, Matth. 12, 15. c. 14, 13. (3) *Tempore pestis, ne quidem transactione cum Ecclesia, reliquisq; collegis factâ, fugam meditetur, sed rationem vel maximam gerat animarum suæ curæ concreditarum* Ezech. 3, 17. agonizantesq; de beata *ἐν ἰσχυρίᾳ* fideliter instituat, nihil metuens, Psalm. 91, 7. Matth. 10, v. 30. Deniq; (4) exemplo Prophetarum, Apostolorum, aliorumq; *exemplo Prophetarum, Apostolorum, aliorumq; morte Ministerium obsignantium, ad mortem usq; in officio permaneat*, Luc. 9, 62. 1. Cor. 7, 17. neq; carcere, multis afflictionibus, exilio, vel aliis modis, se ab officio verè divino suspendi patiat, multò minus propter opes affatim contractas vocationi suæ valedicat, sed ut sequax Johannita aucupetur per omne vitæ suæ tempus favoris non humani sed divini particulas, luceat & ardeat cum Johanne, qui fuit lucerna ardens & lucens, est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum, lucere & ardere perfectum. Dominus messis, conservet sanctissimum Ministerii depositum in Ecclesia sua, contra omnes Diaboli, Mundi, carnis insidias, in hac mundi Senecta ad seculi consummationem, operariisq; suis con-

stantiam, patientiam, adfidentiam clementissimè largiatùr, ut con-
sideratâ muneris amplitudine ac difficultate, præmissis ad Deum
precibus, Verbum purè prædicando, Sacramenta rectè admini-
strando, clavibus rectè utendo, disciplinam & bonum ordinem
conservando, opus faciant ministri & impleant, donec ex ænigma-
te ad Coelestissimum munus evocati, DEUM sine ænigmate, hoc
est involucris verbi & Sacramentorum, videant à facie ad faciem,
gloriaq̃ve Trinitatis repleantur in æter-
nitates. Faxit qui potest
omnia.



Demonstras, *quid sit, KERMANNE,*
Vocatio, cuiq̃;

Competat & quali sit pera-
genda modo.

Sacrilegum Papam denudas, jura vo-
candi

Ordinibus referens, jure ferenda
tribus.

Conatus laudo : sperata proœmia
famæ,

In Patrioq̃; fluant commoda mul-
ta solo.

Abraham Calovius, D.
San-

Sancta Ministrorum Domini sunt munia semper,
 Sanctus & est ortus, sanctus & ipse labor.
 Nemo sponte sua tantum sibi sumit honorem,
 A Domino nisi sit rite vocatus Aron.
 Oeconomus non est, ab Hero nisi rite vocetur,
 Injustum claves sumere fraude sibi.
 Eligit usque suos fidos DEUS Ipse Ministros,
 Qui Res Ecclesie multiplicare queant.
 Talia Tu doctè repetis, KERMANNE, labere
 Sacro: sic pergas dexteritate pia.
 Respiciet sanctum studium pia cura JHOVÆ
 Ecclesie sacris, Teque præesse sinet.
 Floreat AUGUSTUS LEOPOLDUS! HIC augeat usq;
 IMPERII Fines, HUNGARIÆq; Solum.
 Turcarum maneat VICTOR per tempora Vitæ,
 Non unquam vires colligat Hostis atrox.
 Vincat & Internos Hostes, qui Relligionis
 Prætextu miserè Regna, Domosque vorant.
 Multiplices pateant JESUITARUM Ordinis artes,
 REGIBUS & POPULIS, queis mala cuncta creant.
 Ecclesie Nostræ concedat tempora pacis,
 Serviat ut REGI, serviat atque DEO
 Floreat HUNGARIÆ Sacrosanctus Cætus, ut olim,
 In Regno vigeat Relligioque Choro
 Et Tibi mox veniat Divina Vocatio Cælis,
 Ut prodesse queas PATRIÆ, & usque Bonis!

Johannes Deutschmann/D.



Quâ ratione vocare Ecclesia vera Ministros
 Debeat, iste Tuus comprobat usque labor


E 3

Cujus

*Cujus ut excipiant, patriâ tellure, decorem
Prolixo voto, commoda multa, precor.*

*Clarissimo, & Humanissimo Domino Respon-
denti & Auctori, amico multis nomini-
bus æstimatissimo, gratulab. apposuit*

M. Johannes Baptista Röschelius,
Semp. Hung. Fac. Phil. Adj.



Credo, Ministrorum Verbi Te tangit *acerba*
Sors, ideo de illis differuisse placet.
Ac *varios* Cleri meritò perstringis *abusûs*
Jura vocandi qui solus habere cupit,
Præsumit *brutas* se pascere nempe *bidentes*,
Queis sit Pastorem *grande* vocare *nefas*.
Desipiunt sibi qui soli sapuisse videntur,
Prudentes Christus nonne requirit oves?
Tu, dilecte mihi, *laudato* in *perge* labore,
Sic Verbi *dignus* crede *Minister* eris.
Egregis *faveat* *Studiis* supremus *Jöva*
Organon ut fias *utile* in *æde* DEI.

*Amici affectûs erga Autorem & Responden-
tem, eruditæ Dissertationis indubitata
tessera*

M. Georgii Michaelis, Hung.
SS. Theol. stud.

Qvis-

Q Visquis *Scripta manu volvit mellita Virorum*
Magnorum, & sudat nocte dieq; simul:

Hunc olim laudis permagna brabea manebunt

Sentiet & verè dulce laboris onus.

Sic, quia Respondens, KERMANNE, Autorq; laboris

Audis, ergo feras commoda multa, precor.

M. Johannes Czastolowski,

Hung. SS. Theol. Stud.



ECClesiae qui sint Sacrae DEI, quæris
Veri Ministri, & quò vocari possint

Modo, doces, KERMANNE, sit meum votum

Ratum, precor Vocatione visurum

Dulces focos Patriæ, DEUS beet verâ.

*Sic Sczante hoc, Præstantissimo Dn. Conter-
raneo gratulari voluit*

Michael Strompff/ Filcavia

Hung. SS. Theol. Stud.



Laudandus labor iste Tuus, Tibi præmia famæ
In Patrioq; serat commoda mille solo.

*Charissimo Domino Conterraneo, hæc pauca
adjecit*

Jeremias Christ. Seelmann/

Creimn, Hungarus.

Asse-

Asserit impuro Babylonica dogmate Proles
Quod non nostra viros Ecclesia pressa, Tonantis
Dogmata Sacra DEI curantes, ritè vocatos
Possideat, Prolem quod non veneretur eandem
Cultu Divino. Sed Tu KERMANNE refutas,
Et meliora doces. Taceat Babylonica Proles.

Petrus Paulus Fekno, Galgoc.
Hung. SS. Theol. & Phil. Stud.



Intrepido quoniam poscis Certamina Vultu,
Gloria Te meritò lausque futura manet.
Perge bonis avibus, studiis benedicat ab alto
JOVA Tuis, mea quod Carmine Musa vovet!

Hæc pauca gratulabundus adjecit

Johannes Letko, Hung.



53




05 A 223

ULB Halle 3
004 207 319


WOM







DISPUTATIO THEOLOGICA,
Quâ
VERAM ORTHO-
DOXÆ MINISTRO-
RUM VOCATIONIS
CONSIDERATIONEM
In Inçlyta ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO
VIRI SUMME REVERENDI, MAGNIFICI, AMPLISSIMI,
ATQVE EXCELLENTISSIMI,
DN. JOHANNIS Deutschmann /
SS. Th. D. ejusdemq; P. P. longè celeberrimi, Alumnorum Electro-
ralium Ephori gravissimi, Facultatisqve suæ h. t. DE CANI
SPECTABILISSIMI,
Domini, Patroni, Præceptoris, & Promotoris,
submississimè venerandi,
publicæ Eruditorum disquisitioni sistit Autor & Respondens

DANIEL KERMANNUS, Trench. Hung.
SS. Theol. & Philos. Stud.
A. O. R. M. D. C. LXXXIII. Die Octobris.
In Acroaterio Majori.

B. Lutherus Tomo 2. Latino Jenen. fol. 552.
Exspecta Vocantem, interim esto securus: imò si esses sapientior ipso Salomone, & Daniele, tamen nisi voceris, plusquàm infernum fuge, ne Verbum effundas. Si Tui eguerit, vocabit Te, si non vocabit, non Te rumpet scientia tua. Deniq, neq, est vera, sed Tibi videtur scientia & stultissimè tibi fingis fructum, quem possis facere. Nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum.

WITTEBERGÆ, Typis Viduæ AUGUSTI BRÜNINGII,

